

decent locum, pontifica verba satis ostendunt. Ceterum et in parvis oppidis, paucos eligere ac instruere cantores qui praecipua saltem musicae gregoriana elementa addiscant ac ad proxim deducant, bonae voluntatis hominibus haud difficile erit.

233. — Ad divini cultus decorum augendum, et religiosos animi affectus tum exprimendos, tum fovendos, fideliū cantus plurimum conferit, quem ipse Apostolus commendavit desiderans ut *fideles loquantur sibi metipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psalentes in cordibus suis Domino*¹. Quapropter ut in quantum fieri potest, gregoriana ratione, frequentius ac sollertia ecclesiasticis ipsi participantibus, quam maxime studendum². Attamen viri a mulieribus et a pueris omnino sint separati, vitato quolibet inconvenienti³.

Hisce coeterisque [quae facile subaudiuntur] industriis omnibus, dum gravi suo muneri satisfacit Parochus, et pastoralis suae sollicitudinis testimonium tum Deo, tum christifidelibus adeo ipse praestabit, ut, omnino recte, cum Regio Psalte cecinere valeat; *Dilexi decorum domus tuae, et locum sanctae habitationis tuae*⁴.

Articulus III.

DE DIVINO CULTU IN SPECIE.

§ I. — De consuetis Sacris Functionibus.

SUMMAE RERUM. — 234. Animadversiones praeviae. — 235. Quae quoad tempus ac modum sacras peragendi functiones p̄e oculis Pastor habere debeat. — 236. De paroeciali, seu conventuali missa et de proclamationibus inibi faciendis. — 237. De Vesperis canendis. — 238. De SS.mi Sacramenti benedictione. — 239. — Quaedam magni momenti animadversio. — 240. Conclusio.

234. — Sacras, sed consuetas, cultus functiones paroeciali in Ecclesia peragendas dicimus illas quae, ordinariis in adiunctis, iuxta canonum pracepta, dioecesium ac paroeciae consuetudines, in dominicis ac diebus festis a Pastore peragi debent, et quas, perspicuitatis caussa, in eas quae ante-meridiem ac post-meridiem haberi solent dispescimus. Sed in primis et ante omnia quaedam preliminaria praecedant.

¹ Ephes. V, 19.

² Pius X. Mot. Prop. *Tra le sollicitudini*, cit. — Cfr. Instruct. Vicarius pro Urbe, 12 febr. 1912.

³ S. R. C. in *Neo-Eborancens*. 18 dec.

1908.

⁴ Psalm. XXV, 8.

235. — Ut in omni divino cultu exercendo, ita, et praesertim, in sacris peragendis functionibus, tum in tempore, tum in modo perquam sollicitus sit Pastor, ne, sua negligentiae caussa, ab ipsis frequentandis arceantur fideles. Igitur:

a) **Quoad tempus**, id quod praescriptum est adeo fideliter Pastor servet ut quascumque alii generis occupationes etsi sanctissimas [utpote confessiones] statim intermittendo, statutis totum se dedat. Si, enim, in re adeo claudicetur ut horarum statutarum ordo, plus minusve violetur, impatientiae caussa fidelibus erit, qui, müssitarent, alibi se conserrent, vel, [quod saepius] dominica munera debitate posthaberent.

b) **Quoad modum**, adeo functiones cunctas Pastor peragat ut, aedificationem in plebe pariat. Idcirco tum nimiam prolixitatem, tum festinationem nimiam sedulo devitando, quidquid divini officii peragendum sit, gravitate maiestate, debita perficiat. Sacrasque itaque ceremonias ne mutilet abrumpatve, sed loci ac sui officii sanctitatis memor, tranquilla ac veneranda ratione omnia peragat. Quamobrem, paramenta inepte hinc inde gestare, clericos publice arguere, oculos hinc inde vertere, pro minoris rebus momenti quietem amittere, vera absque necessitatis caussa spuere, nicotianum pulverem haurire, et cum uno altero ministro verbum facere, quam maxime devitabit. Coetera in re plura subaudienda velimus.

236. — Inter communes sacras functiones ante-meridiem peragendas, paroecialis seu conventualis missa primas partes obtinet, quae, ut plurimum, personale Parochionus est, qui sacrum pro populo faciendo ac eum adhortando¹, gravibus suorum munerum obligationibus satisfacit. Hac in re, quae de missa alibi recolebimus, necnon coetera quae de sermonibus ad populum alibi dicemus, p̄e oculis Pastor habeat. Hoc unum memorabimus, scilicet, ne bannorum, ieuniorum, indulgentiarum ac festorum in hebdomada occurrentium, proclamationes omittat, in quo, consuetudinibus servatis, breviter, perspicue, complete ac opportune se habebit. Si, enim, brevitas deficeret, confusione, esset locus; perspicuitas vero ad proclamationis finem in gente, ut plurimum, dura cervice praedita, obtainendum pernecessaria; integritas seu perfectio si desit, quaedam tantum enunciando, plura et, forsan, necessaria Pastor omittet. Tandem, opportunitatis gratia, tum in re, tum in verbis quae tacenda sunt tacebit; quod si negligat, medicinam im venenum verteret. Ad hoc, parvo in libello, ad rem expresse confecto, quae fidelibus communicanda sunt in tempore inscribere, valde iuvabit, quo et haud aedificationis illud devitabit Pastor, qui sacra facturus, inter

¹ Cfr. SS. D. N. Pius PP. X Encycl. *Acerbo nimis*, 15 april. 1905.

vestiendum, de quibus monendus sit populus ab uno altero ex Coadiutoribus sciscitur.

237. — Communes inter functiones post meridiem agendas vesperarum cantus vel recitatio primum venit, in que quae de sacra musica ac de fidelium cantu mox diximus, p[re] oculis habeat Pastor. Chorus, igitur, tum in cho[ri] sede, tum in Ecclesia adeo constituere ut cantus alternatio habeatur, eamque moderare Pastoris erit qui, ne in re profanae in populum inducantur consuetudines, quam maxime advigilabit.

238. — Vesperarum recitationi vel cantui [ut plurimum] SS. Sacramenti benedictio succedit, in qua ut sacrae liturgiae praescriptiones omnes [quas de SS. Eucharistia uti sacramento agentes alibi recollemus] ab omnibus adamussim sedulo observentur. attente advigilandum.

239. — Huic argumento finem facientes, id tantum adnotamus, an hi qui prolixas nimis functiones sacras in Ecclesia ducunt, laudandi sint, valde quidem ambigendum. Quamplurimas, igitur, functiones invicem connectere, innumerisque ac numquam finiendas preces eas inter, tum una cum fidelibus, tum solus recitare, quantum spirituali ac genuino gregis bono noceat, haud facile dixeris. Huius, enim, patientiae haud fidendum nimis, qui eo promptius sollertiusque ad Ecclesiam se confert, quo citius ab ea se discessurum sciatur. Secus quae eius in adiumentum posita sunt, in fastidium, et ideo nocumentum, verterentur. Nil, enim, in spiritualibus noxiis magis quam satietas, quae fastidium primum, ac contemptum deinde parere consuevit. Quo validior pretiosiorque medicina, eo cautius parcusque adhibenda! Ad rem:

a) Sacrarum Functionum horas, potiusquam in propriam, in fidei communitatem constitutus Pastor, qui in re, non dominus, sed, quodammodo, eorum servus est. Ut plurimum hae functiones, quaecumque sint, ab ortu ad occasum solis haberi solent, et ne post occasum multo protrahantur, plurimae iubent Synodi. Attamen qui [tum in pagis, tum in civitatibus] indiscriminatim hanc normam servaret, complurimas sacras functiones ac pias practicas in cassum celebraret. Locorum, igitur, circumstantiae, consuetudines que sedulo perpendenda, et quo magis nocturno tempore protrahantur functiones, eo magis tum vigilantiae, tum copiosae illuminationi studendum, ne quae extra Ecclesiam haud permitti possunt, inibi perpetrentur. Intelligenti pauca!

b) Quibusdam in functionibus sacris [SS. Sacramenti XL Horarum Expositiones, Missiones, Exercitia Spiritualia etc.] eorum partes et actus, dum licet, adeo ab invicem separantur, ut omnibus utilitati, nemini fastidio ipsae sint. Quod tamen praecepsum, praesertim

in pagis, ne nimis urgendum; ruralia, enim, negotia ac distantia locorum, fidelium assiduitati officere possunt.

c) Cum de extraordinariis ecclesiasticis functionibus habendis publicum edictum conficiendum ac per pagum vel per urbem evulgandum sit, simplicitati ac perspicuitati, veritati ac prudentiae adeo inserviendum est, ut nil theatrorum mores redolens inibi habeatur. Quae vero civiles de re leges statuunt, heic quoque servanda veniunt¹.

240. — Conclusionis ergo in functionibus statuendis peragendisque omnibus hoc unum semper recognoscit Pastor, nimis, non proprio, sed fidelium bono inserviendum sibi esse. Cuncta itaque quae ad rem faciunt eligenda ac tutanda; quae vero spirituali fidelium utilitati quoquomodo officere possunt, sedulo devitanda. Necessariis, igitur, congruentia locum cedant.

§ III. — De quibusdam alterius ordini Functionibus Sacris.

SUMMAE RERUM. — 241. Animadversiones praeviae. — 242. Quae quoad canones ac liturgiam in Ecclesiae Patroni ac Titularis festis servanda sint — 243. Quomodo inibi Pastor se habere debeat — 244. De Ecclesiae dedicationis die — 245. In publicis extra Ecclesiam Processionibus quae servanda sint — 246. De piis Peregrinationibus. — 247. Quae de benedictionibus ingenere recolenda sint — 248. Pastorales in re industriae quae.

241. — Sed et alias Sacras Functiones tum infra, tum extra paroeciale Ecclesiam peragendas enumeramus, quas, ne quidquam pastoralis utilitatis tractationi nostrae desit, recolere opportunum ducimus. Has vero in Patroni, Titularis ac Dedicationis festis, in Processionibus, Piis Peregrinationibus ac complurimis benedictionibus continentur.

242. — Quoad Ecclesiae Patronum ac Titularem, quae canonica² ac nuperima liturgica pracepta sint sic accipe:

I. Quamvis Patronum et Titularem in praxi confundere plurimi soleant, attamen, liturgica ratione³, primus quemdam locum universum, alter vero unam tantum illius loci peculiarem Ecclesiam adeo afficit⁴, ut si, procedente tempore, ipsa demoliatur pereat, et Titularis pereat necesse sit.

II. Ecclesiae Titularis, ex Sanctis⁵ [non vero ex Beatis⁶] in generali Ecclesiae universae, vel in peculiari dioecesis martyrologio contentis, ab Ecclesiae funda-

¹ Pro Italia, cfr. Calchi Novati,
Op. cit., Lib. III, tit. III, § V.

² Cfr. Deshayes et DD. cit.

³ Vavasseur, *Manuel de liturgie* I,
III, Sect. V, Cap. 1.

⁴ S. C. R. 9 maj 1857.

⁵ Id. 29 jan. 1740 ad 1, 11 april. 1840;

⁶ 31 aug. 1867, ecc.

⁶ Id. 23 jan. 1740.

toribus seu ab Episcopo, in ipso die in quo primum lapidem benedit, eligendus est; neque, absque Apostolica venia, deinde immutari potest¹. Eius tamen liturgicae praerogativae a solemnis benedictionis vel consecrationis die decurrere tantum possunt².

III. Haec Titularis praerogativa sequentibus commatibus continentur
a) ritu dupli primae classis, cum octava, festum celebrandum est; b) Credo in missa dicenda in ipsa Ecclesia; c) suffragiorum ac in oratione A cunctis mentio.

IV. Patronorum seu titularis dies festi, pracepto in diebus festis servando minime subiacent, et eorum exteriorem solemnitatem ad dominicam proxime sequentem transferre, Ordinarii est³. His in solemnitatibus vero, dummodo magno populi concursu celebrentur, ab abstinentiae ieiunioque praceptis in die occurrentibus: fideles solvuntur⁴.

V. Festum Patroni principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Dioecesis, vel Provinciae vel Nationis, cleris saecularis, et regularis ibi degens et kalendarium dioecesanum sequens ritu Duplici I classis cum Octava celebrabit: Regulares vero ibidem commorantes et kalendarium proprium habentes, idem Festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt, absque tamen Octava⁵.

245.—His positis, ut tum Patronorum, tum Titularium solemnitates tali ritu, quo ad pietatem, non vero ad morum licentiam et corruptelam tendant, celebrentur, Pastores omni contendant nisu. Quantum, enim, hisce in adjunctis christiana fidelium observantia innumeris obiiciatur periculis, quotidiana miserandaque experientia docet. Enimvero, paganae laetitiae curiositatisque caussa, tot ex limitrophis pagis, vitiosi homines ad festum confluunt, ut quae sacrae esse deberent solemnitates, nullo negocio, in authentica bacchanalia immutentur. At sanctorum celebratione ac reliquiarum visitatione, homines ad commissiones atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem sanctorum, per luxum ac lasciviam agantur⁶, et id semper in fidelium mente Pastores revocent: *ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat*⁷. Dum, igitur, intra parietes Ecclesiae, functiones sacrae omnes ex ordine, ac magna cum pompa aguntur, et dum praesertim peculiari fidelium sacramentorum frequentia ab ipsis celebrari Pastor hortatur, ne extra ipsam, commessionibus, ebrietatibus, rixis ac impudicitii dominicus gressus dedat, quam maxime advigilabit. Ad hoc externarum laetitiarum omnium [in quantum licet] sibi assumere curam, seu, potius, probis fidelibus committere, vel saltem in ipsis sententiam dicere posse, ad plura devitanda incommoda, valebit. Si vero malum ita se habeat ut fere incurabile

¹ S. C. R. 20 april. 1822, 6 sept. 1834,
10 febr. 1843, 14 jan. 1889.

² Id. 21 april. 1873, 29 nov. 1891,
5 jun. 1899.

³ SS. D. N. Pii PP. X, Motu proprio. *Supremi*, II jul. 1911, ad. III.

⁴ Id. Ibid. ad. V.

⁵ Pius PP. X constit. *Divino afflatu*, Kal. nov. 1911, tit. X.

⁶ Trident. XXV. *De invocat. sanctor.*

⁷ S. Augustinus, *Sermo XLV, De Sanctis.*

dixeris, auditio ac adiuvante Ordinario, cum solemnatum suppressione et baccanalium occasionem, prudenter, abscindere praestabit: quod, tamen, in praxi adeo periculosum, ut absque magna consideratione haud agi possit.

244.—Dedicationis Ecclesiae festum, pluribus in locis, in choro tantum celebratur: ubi vero et in foro, quae de Patroni ac Titularis festo, extra Ecclesiam a Pastore servanda diximus, heic quoque, pree oculis ipse habeat. Quo in argumento sequentibus ex novissimis liturgicis deducta praceptis, Pastor attendat:

I. Anniversarius Dedicationis Ecclesiae dies, in dominica, vel alio in die ab Episcopo eligendo statui potest, quo facto eum transferre ne licet. Attamen in dupli primae classis, vel secundae classis ab universa Ecclesia consecrato die, neque in dominica maiori et in primae vel secundae classis dioecesis peculiari, Apostolica haud accidente venia, fieri non potest¹.

II. Dedicationis dies, nisi in festo proprio dicto celebretur, solummodo in choro celebrandus; nimis, peculiaribus dierum festorum obligationibus, fideles non subiacent.

III. Festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae est semper primarium, ut Festum Domini. Ritus in dedicationis die, duplex primae classis cum octava est², tum in missa, tum in officio divino ab omni saeculari illius Ecclesiae clero, qui eidem a ratione beneficii, aut ratione subiectionis utpote propriae adscriptus est, servandus³. Ad rem prestius novissime statutum est:

a) Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu Duplici I classis cum Octava per totam dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari kalendarium dioecesanum adhibente: a Regularibus vero utriusque sexus in eadem dioecesi commorantibus at proprium kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen Octava⁴.

b) Quum Sacrosancta Lateranensis Archibasilica omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis sit mater et caput, tum ipsius Dedicationis Anniversarium, tum Festum Transfigurationis Domini, quod, praeter magnam Resurrectionis Dominicæ solemnitatem, tamquam titulae ab ipsa recoli solet, ab universo Clero tam saeculari quam regulari, etiam ab illis qui peculiarem ritum sequuntur, sub ritu Duplici II classis deinceps celebrabitur⁵.

245.—Gravissimae profecto sunt rationes, quibus innixa Mater Ecclesia Processiones Sacras adprobandas censuit, immo ipsi cultui divino eas inseruit. In processionibus, enim, fideles congregati, Communionem Sanctorum et militantem Ecclesiam maxime repraesentant, quae, veluti acies castrorum bene ordinata, Sacrae Crucis venerando signo munita, progreditur, Deumque, continuis laudibus poenitentiaeque precibus in-

¹ S. C. Rit. 8 jun. 1894; 4 febr. 1896;

² 4 mart. 1901.

³ Rub. brev. tit. III; n. 1: S. R. C.

⁴ 27 mart. 1851; 9 jul. 1895; Cfr. Eand.

⁵ 30 dec. 1911.

³ S. R. C. 9 jul. 1895.

⁴ Pius PP. X in Constit. *Divino afflatu*,

Kalend. nov. 1911, in rubric. titul. X.

⁵ Id. Ibid.

vocando, insidiantes quoscumque visibles et invisibles inimicos, cum publica Fidei professione, in nomine Domini propulsat. Plura heic recolenda tum ex canonum, tum ex theologiae pastoralis praceptis, ita perstringimus.

a) Quoad canones¹:

I. In societate catholica iure potest Ecclesia ritus suos per publicas processiones exercere, quod maxime valet de processionibus pro SS.mo Sacramento, ac pro defunctorum exsequiis².

II. Nec vulgata impiorum argumenta huic doctrinae obstant³. Igitur qui in re ab ipsis adduci solent praetextus, viarum, nimirum, dominium ad civilem potestatem pertinere, commercii impedimenta, hygienis cura, irreverentiae rixaeque pericula, aliave incommoda a sectis opposita, ad nihilum valent, vel, ad summum, officium vigilantiae ac tutelae in societate civili denunciant³.

b) Quoad leges civiles, pro extra Ecclesiam ducendis processionibus, vel civilium Potestatum habere veniam, vel saltem eas edocas reddere complurimis in Gentibus⁴ necesse est. Quas ordinationes, quamvis adversus Ecclesiae libertatem pugnant, attamen, ad maiora praecavenda mala, servare decet, ne saeviendi praetextus praebeatur.

c) Quoad processiones in se ipsas:

I) Dummmodo Processiones omnes solemniter, devote, ordinate, raro, breviter, ac diurno agantur tempore, ad divini cultus in fidelium incrementum multum valere, pro certo Pastor teneat. At positas omnes condiciones sedulo ipse attendat, quarum et si una deficeret, harum utilitas magno in discrimine adduceretur. Enimvero processionum solemnitas praesertim ad divinum extra ordinem celebrandum cultum, quam maxime necessaria: devotio quoque requienda est, ne in profanum apparatum sacrae processiones commutentur; si vero ordo desit, cum communi scandalo ac perversorum hominum diabolica laetitia, pessumdabuntur omnia. — Tandem ut processiones rarae ac breves sint, quam maxime suadendum, quum tum ab immoda earum frequentia, tum ab earum prolixitate, piarum harum practicarum scopus funditus pessumdetur. — Ne vere bonis moribus facile exoriatur periculum, nocturno tempore processiones agi non debere, hi omnes qui in re perplura devitare intendunt, facile concedent.

II) Ad haec omnia cavenda incommoda, processionum vigilatores ex piis pagi Confraternitatibus delectos constituere valde iuvabit, qui comiter at sedulo, tum fidelium incendi passus, tum

¹ Cfr. Deshayes et, DD. cit.

² Cfr. Cavagnis, *Op. et loc. cit.* n. 227.

³ Id, Idib.

⁴ Pro Italia, Cfr. Giovanelli, *op. cit.*, XL.

eorum deambulationis ordinem rectitudinemque curabunt. Ut vero omnes ab inquis allati praetextus dilabantur, ne perlóngae nimis processiones sint et in tempore commerciis commodo habeantur, et ut hygienicae industriae ab omnibus serventur ac irreverentiae contentionisque occasionses devitentur [communibus in re adhibitis industriis, quas subintelligere maluimus] quam maxime advigilabit Pastor.

246. — Quae de Processionibus recoluimus, et in Peregrinationibus Piis, generali ratione, locum obtinent, in quibus quo diutius protrahantur ac longinquis tendant, eo magis prudentiae vigilantiaeque industriae augendae. Tum, igitur, ad Apostolorum limina, tum ad quaedam celebriora Sanctuaria Peregrinationes, ad fidem conservandam foventdamque aptissimas, quam maximae colebunt Pastores. Attamen ne quorundam, qui peregrinationes has in commercium commutare interdum conantur, rapacitati ipsi ac fideles inserviant attente cavendum, et ut fideles, pias has peregrinationes ineant, modis congruentibus omnibus, non tantum suadebunt, sed et, attentis circumstantiis, quoque adiuvabunt. Ex hac, enim, pia praxi quantum Apostolicam erga Cathedram studium obedientiaque eorum in animis incrementum accipiant, quantumque pietatis religionisque sensus augescant, ac quantum actioni catholicae adiumentum comparetur, quotidiana ac laetabunda experientia amplissime docet. Peculiares ad rem industrias alibi recolemus¹.

247. — Clementissimus rerum omnium Creator Deus, ut creaturis suis, maxime vero homini, fecunditatem, prosperitatem, ac materialium rerum bonorum impertiret copiam, manuum suarum operibus saepius benedixisse legitur. Quum vero divinorum beneficiorum fons occlusus non sit, etiam in nova lege fidelibus, qui in hoc vocati sunt ut hereditatis benedictionem possideant, sacerdotem benedicere oportet. Etenim Christus Dominus in spiritualis potestatis plenitudine quam Ecclesiae suae dedit, ut, divina benignitate et clementia invocata, per Passionis suae merita, omnigenis bonis a Deo impleantur, tum hominibus, tum creaturis aliis, quae in ipsorum usum et utilitatem datae sunt, benedicendi auctoritatem contulit².

248. — Quae vero in his benedictionibus impertiendis [quae, fere innumerae, in *Rituali* continentur] praestare Pastor possit debeatque paucis sic accipe:

a) Superstitiones compescantur, ac [si fieri potest] eradcentur, quo tantum versutissimas plurimarum sagarum artes ad

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Peregrinationes.*

² Cfr. S. R. C., 13 jun. 1897, et in re, *Monit. Ecclesiastic*, XIII, pag. 133.

292 Pars II. — II — Cap. I — De spirituali administratione in genere

nihilum Pastor redigebit. Sacerdotum in Deum omnipotentiae opinionem a fideliis animis arceat, ac unius alteriusve ex ipsis preferentiam ac superexaltationem cohipeat Pastor; ad quod assequendum ut successive a diversis sacerdotibus benedictiones impertiantur, perutile erit.

b) In Deum fides in potentibus excitetur, qua, humanis depulsis argumentis, expostulata ad Ipso facilius fideles obtinebunt.

c) Dum quae in *Rituali* uniuscuiusque benedictionis sunt formulae servantur, ut quamcumque lucrationis speciem sacerdotes devitent, et ut perquam parce his in adjunctis potui se dedant, quam maxime suadendi. Quae omnia praesertim in domorum benedictione in Sabbato Sancto vel in Paschali tempore habenda, servanda sunt. Diversae, enim, potus species, non tantum mentem obnubilant, sed et stomachum movere solent, et immodicas quaestuationes a sacerdotibus omnibus, immo ab Ecclesia ipsa fideliis animos quam maxime avertere sciunt omnes. De cetero loci consuetudines serventur, in quarum tamen observantia modus a prudentiae pastoralisque regiminis normis praefinitus adest, quem praetergredi nullo modo licet.

§ IV. — De exequialibus Processionibus ac fideliis defunctorum Sepulturis.

SUMMAE RERUM. — 249. Animadversiones praeviae. — 250. Quae in re canones dicant. — 251. Quoad argumentum e nuperrima piana Const. *Divino afflatu* sacrae liturgiae praecepta. — 252. Moralis in re theologiae synopsis. — 253. Pastoralia monumenta quae esse possint. — 254. De Coemeteriis canonicae leges. — 255. De Laicalium Potestatum in re indebita ingerentia.

249. — Sancta Mater Ecclesia, quae nos, vix in lucem editos, maternis suscipit ulnis ac, sanae doctrinae pabulo, et sacramentorum virtute per universum humanum exilium, in vitam aeternam fovet nutritque, etiam post obitum, piam nobis sollicitudinem impedit. Corpora quippe nostra, quae Spiritus Sancti templa sunt [gloriosae resurrectionis spe] sacris cum ritibus mandat terrae; animas vero fideliis suffragiis, ac potissimum altaris sacrificio adiuvat, ut ab omnibus expiate peccatis, lucis perpetuae recipient beatitudinem. Quamobrem, quamquam in mortalis vitae serie, iusta funebria atque exequiarum ordo postremum locum teneant, attamen cum per illas his qui in Signo Fidei nos praecessere, ea amoris ac observantiae pignora tribuantur, per quae naturalis religio cultique animi sensus maxime foventur, quin immo, eorum transitus efficacissima nostra adhortatio sit, ac demum [uti par est] sancta ac sa-

lubris cogitatio erga in Domino Defunctos in dominico gregi uberrime excitetur, in pastorali cura ex primis sollicitudinibus argumentum est.

250. — A iure¹ autem sumimus initium:

I. Sepulturae jus², activa ac integra significacione sumptum, duo diversa complectitur; nimirum; a) jus sepeliendi; b) jus percipiendi emolumenta occasione funeris solvenda.

a) Quoad jus sepeliendi iterum in tria diversa dispisci potest, nimirum a) jus levandi ac ducendi corpus ad ecclesiam, ut aiunt, *exponentem*: b) Jus funerandi, idest, exequias in ecclesia celebrandi: c) jus tumulandi in coemeterio, quod regulariter funerandi jus consequitur. Ad rem:

I. Jus sepeliendi parochianos exclusive Parocho proprium est, ac ita quidem ut intentionem, seu praeumptionem in jure fundatam Parochus habeat³. — Parochiani vero quoad sepulturam sunt et censentur: a) omnes domicilium vel quasi domicilium in paroecia habentes⁴; b) illi quorum corpora ad propriam parochiam, absque incommodo, reportari nequeunt⁵; c) omnes quorum a jure in paroeciae coemeterio sepulchrum assignatur; d) decedentes in hospitalibus⁶ aliisque domibus, vel communitatibus quae nec de jure, nec speciali decreto legitimae auctoritatis, a jurisdictione Parochi exemptae declaratae fuerint⁷. Qui in pluribus locis parochiani qualitatem habet, ab unoquoque illorum Parocho sepeliri potest. — Jus habent regulares⁸ sepeliendi subditos suos etiam extra monasterium inconsulto Parocho, nec ulla ab ipsis funeralis taxa⁹ ei debetur. Absque Parochi interventu, suorum cadavera adsociare possunt cum stola et cruce conventus, a domo defuncti ad ecclesiam, et postea ad publica coemeteria, attamen sine pompa et per breviorem ducere viam¹⁰. Idem jus habere videtur confessarius seu capellanus monialium, pro sibi subditis mulieribus¹¹.

II. Ubicumque exequiarum celebratio ac tumulatio fiat, Parocho est defuncti corpus e domo levare et ducere funus, tramite recto, usque ad alienae paroeciae limites, vel usque ad funerantis ecclesiae ianuam¹², cui exclusive competit totum officium funebre persolvere, servata tamen Parocho defuncti portione canonica, nisi defunctus vel heredes eius duplex funus et duplices exequias celebrari postulaverint. Unica ecclesiae crux tumulantis, in ducendo funere, intra paroeciam in qua tumulatio fit elevari debet. — Si per alienae paroeciae territorium processionem transire contingat¹³, illius Parochus nec obstare, nec ullum sibi funerale ius vindicare valet. Processo, tamen, recto tramite, ab illius territorii Parocho designando, et sine pompa transeat¹⁴.

¹ Cfr. Deshayes et D. D. citat.

² Cfr. DD. in titul. *De Sepulturis* X, III, 28.

³ C. 5 *De Sepulturis*, C. 3 h. h. in 6^o. — Cfr. in *Melevitana*, 30 april. 1904.

⁴ Cfr. D. ad LL. *De Paroeciis* X, III, 29.

⁵ Benedict. XIV. *Instit.* 105, n. 44; S. C. Ep. et R.R. 6 jul 1592.

⁶ S. C. C., 19 maj 1888.

⁷ S. C. C., 24 jan 1857: *Act. S. Sedis*, XIV, 346.

⁸ *Act. S. Sedis*. V, 127, XIII, 409.

⁹ S. C. C., 28 nov. 1671; Innoc. XI,

² dec. 1678; Benedict. XIV, *Si datam* 4 mart. 1748.

¹⁰ S. C. C., 24 jan. 1846; 24 febr. 1872.

¹¹ S. C. C., 24 febr. 1852.

¹² S. C. C., 31 jul. 1694, et 2 maj 1711.

¹³ S. C. C., 16 sept. 1871.

¹⁴ D'Annibale, III, 176 [80]. — Cfr. S. C. C. in *Novariens*, 27 maj 1893; Ead. in *Senogall*. 7 august. 1909.